

nobilissimam, parentes inclitos ceteraque id genus omitto, tum quia multis communia sunt, tum quia aliena potius laus dici potest. quanta in eo liberalitas, constantia, fides, integritas, religio, modestia, sanctitas, animi magnitudo, omnium artium et maximarum rerum 5 scientia! haec siquidem, si quem praestantissimum nacta scriptorem fuerint, quantum implere volumen potuerint! cernis summum va- tem Homerum quam immensum optimorum versuum numerum edere, priusquam fabulosum illum absolvat semideum, quem sibi laudandum assumpserat, iracundum, libidinosum, cruentum, saevum, 10 populatorem et ad urbium stragem natum hominem. quid factu- rum censemus poetam sapientissimum in re vera et virtute solida? haec dum mecum ignarus homuncio reproto, tacendum mihi statuo, ne et ingenii imbecillitatem patefaciam, et quem dedicari memoriae cupis, oblivionis involvam tenebris. omnes enim, quae ab inertis ac 15 vulgari scriptore dicuntur, uti scopulum reformidant, vitant, abiciunt. quidni? cum in eo et grandia quoque iaceant, magnifica depriman- tur, clara delitescant, suavia exasperentur? quod si eadem virum ingenio, doctrina et exercitatione praeditum nacta fuerint, tum sua di- gnitate tum dicentis splendore illustrata ita lectorem alliciunt, ut de- 20 fatigari quidem, non autem satiari possit. sed quid ego dissimulo aut ulla tecum « circuitione utor »?⁽¹⁾ te vocat iste labor, qui omni doctrinarum genere et liberalissimis artibus ornatus ipsam praecipue vim dicendi tuo iuri vindicas, et ita vindicas, ut ad orandum maxime natus aptusque pernoscare. accedit praeterea singularis auctoritas 25 et optima eloquentiae comes fides. quibus rebus instructus cum divinum Manuelem tibi illustrandum desumpseris, effectum iri va- ticingor ut caelestes eius virtutes, quae per se magno cultu ac vene- ratione visentur, accumulatiore quadam voluptate, quod a te de- scriptae fuerint, legentur et amabuntur. ad collocatum in Olympia 30 famosissimum illud Iovis simulacrum undique visendi studio con- currebatur, non minus quia Phidiae manibus fabricatum ferebatur⁽²⁾, quam quod eius nomine expressum erat, qui πατήρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε⁽³⁾ vocabatur.

(1) TER. *Andria*, I, II, 61: « nil cir- « cumitione usus es ».

(2) PAUSAN. *Descr. Graeciae*, V, xi;

VAL. MAX. *Fact. et dict. mem.* III, VII, ext. 4.

(3) HOM. *Iliad.* IV, 68.

il casato nobilissi-
mo, ed altri pregi
affini.

furono somme in
Crisolora le virtù
dell'animo e la
scienza.

Ora se Omero
dedicò si lungo
poema ad Achille,
eroe leggendario e
tacciato di brutte
qualità, che cosa
farà un poeta sa-
piente per un uo-
mo veramente vir-
tuoso?

Egli però è uomo
dappoco, né ha le
forze che il tema
richiede. La sua
parola inefficace,
anziché illustrarlo,
lo oscurerebbe.

Ritiene invece che
il V., fornito di
tanta dottrina, ele-
ganza ed autorità,

sia chiamato a ce-
lebrare il divino
Manuele, aggiun-
gendo così al culto
delle di lui virtù
il diletto che pro-
mana dall'arte;